T2Z4.

§. 1.

NUnquam, ut vetus habet veri verbium, ullibi dedicatum Deo templum est, cui Satanas, ἄσπονδος Dei & cultorum ejus hostis, suum non extemplò, quoad potuit, junxisset sacellum. Nam, quæ Hæreticorum fraus & perversitas est, ut, (quod Cyprianꝰ epist. 73. de Novatianis scribit) *Simiarum more, quæ, cum homines non sint, homines tamen imitantur, Ecclesiæ Catholicæ authoritatem & veritatem sibi vendicare velint*, illâ eosdem instruxit Diabolus ipse, omnis nequitiæ scelerumq́; Artifex, & Hæreticorum Parens. Hic est ille, qui Angeli lucis habitum mentiri, & χρησολογίας cruentis cum machinis permutare, si Ratio Status ita ferat, optimè novit; uti suum scil. sacellum juxta templum Dei sartum tectum præstet, & Zizania, quæ longè lateq́; spargit, unà cum tritico excelsissimè efflorescant. Diabolus enim, secundum Isidorum l. 3. de S. Bono, *tanquam serpens lubricꝰ, quando decipere quenquam quærit, in varias se trans mutat formas, jam in vulpinam, jam in leoninam, jam suaviter blanditur, ut fallat, jam sævit, ut terreat.* Eâ fini plures, inde usq́; ab Ecclesiæ incunabulis, conduxit, fovit, & armavit πυρσοτεχνίτης, pro sacelli sui aris & focis qui pugnarent acrius, & suam sibi, in ædificando, ampliando, colorando, interpolando, ac, vel vi, vel per cuniculos, stabiliendo isto, elocarent operam.

§. 2. Inter omnes vero istos, qui molliori brachio Satanæ sacelli limites latius proferre annisi unquam sunt, primas non temere quis Syncretistis, quos vocant, deferat. Enixus jam in Paradiso hunc abortum suum est mendacij Pater, eumq́; lambendum & fovendum postea credidit plurimis, utrâq́; Chimæram hanc amplexis, & ad delicias usque in sinu foventibus; nunc hac nunc istâ ipsius forma captis. Propullulavit hinc, & ex Orco, ubi post illum prognatus, prodijt Syncretismus Se-